

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius

**Sánchez, Francisco
Schoppe, Caspar
Perizonius, Jacobus
Franequera, 1687**

Lectori S.

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

LECTORI S.

Utinum posuimus ad linguam Latinam præcipuum documentum; quia magna vulnera debent arte, atque dolo bono tractari: timui enim ne si hoc remedium in libri fronte proponeretur, omnes medicinam, licet saluberrimam, aversarentur. Quis enim est, non dico in Hispania, sed etiam in tota Europa, (quatuor aut sex doctos excipio) qui non & sentiat, & præcipiat verbis Latinis exercendam linguam, ut promptè, & celeriter possis, quæ malè cogitaveris, expromere? Quis porro ludimagister Grammaticus non subinde pueris crepat; (honor sit auribus doctorum) vel malè, vel bene loquere cum M? Tanta est stultorum hominum ignorantia, perversitas, & pertinacia. At ego, apud quem plaris est recta rationis pondus, quam multorum præscriptum, assero, nihil pestilentius posse juveni linguæ Latinæ cupido evenire, quam aut verbis Latinis effutire cogitata, aut loquentium profuentiæ interesse. Quicumque enim aliquando peritiam Latinæ linguæ est assequutus, Petrum Bembum dico, aut Oforium, aut nostrum Pincianum, non loquendo, sed scribendo, meditando, & imitatione id sunt assecuti. Hortor igitur sacri verbi concionatores; (quando politè, & appo-
sitè)

frè de suggesto loqui non ultima laus est) ut etiam Hispanè loquentium cætus fugiant; quam paucissima loquantur ipsi; patienturque vel mutos, & elingues in confabulationibus appellitari, dum ex scripto, & meditato doctorum hominum aures ducant in admirationem. Non discimus Hebræa, vel Græca, ut loquamur, sed ut docti efficiamur. Quur igitur in Latinis non idem efficiemus? quandoquidem jam nulla natio est, quæ Latine, aut Græcè loquatur. Stylus exercendus est diligenter: hic enim, ut M. Tullius ait, est egregius dicendi magister: hic verè nos docebit, communi sensu illos carere, qui linguam Latinam in plateis, aut etiam in gymnasiis miris modis conantur dilacerare. Vale.

S f 2

Qui